

tamen neque Pontificiorum Confessione auriculari erat illud simile: neque etiam ad id Ecclesie absolutam quadam necessitate astringebantur: verum liberrimus eius relinquebatur usus.

96. Unde factum, ut postea in Orientali Ecclesia, Nestarius Episcopus Constantinopolitanus, suadente Eudemone Alexandrino, Ordinem Pœnitentiarum abrogavit, liberamque fecerit potestatem, ut pro sua quisque Conscientia ad mysteria participanda accederet: Eo pacto, inquiens, futurum, ut Ecclesia omni tali careat macula infamiae, qualis ex confessione particulari matronae cuiusdam nobilis Ecclesiae fuerat iniusta *Socrat. l. 5. Eccl. cap. 19. Sozom. l. 7. cap. 16.*

97. Augustinus profecto suis in scriptis passim, Auricularē hanc Confessionem Pontificiam mirè exagitat: ut *lib. 10. Confessionum. cap. 3. inquiens*: Quid mihi ergo est cum hominibus., ut audiant Confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam: desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quærunt audire, qui sim, qui nolunt à te audire, qui sint? Et unde sciunt, cum à me ipso de me ipso audiunt an verum dicam? quandoquidē nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi Spiritus hominis, qui in homine est.

Augu.